



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Appellationibus. Consilium CC.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

De Appellationibus.

SYMMARIUM.

Appellationis desertio.

1. Appellatione deserta Index ad quem non potest retractare sententiam.
2. Appellatione deserta Index appellationis iurisdictionem amittit.
3. Appellatione deserta Index à quo statim potest exequi suam sententiam.
4. Desertio non excusatur per conclusionem in causa ante finem biennij.
5. Desertio non excusatur, si appellatus cum appellante ulterius procedat.
6. Causa conclusa, alij articuli admitti non debent.
7. Citatio ad sententiam necessaria non est, quando litigantes inveniuntur presentes.

CONSILIUM CC.

IN decisione causæ appellationis, quæ coram Venerabili Domino Officiali Mechliniensi introducta est inter Martinum Maerschalc appellantem, & Magistrum Petrum Hellewijx appellatum, de iustitia sententiæ, à qua appellatum extitit, magnopere querendum non est: * ideo quòd ex nimis longo insequentis temporis lapsu eadem appellatio in desertionem reciderit, & sic Venerabilis Domini Officialis hac in parte officium sit constrictum; ita videlicet, quòd nullo modo possit dictam sententiam retractare tamquam iniuste latam. Est enim ita iure constitutum, & in praxi forensi observatum, quòd, cum appellatio per lapsum fatalium temporum est deserta, Iudex appellationis alterum ex duobus facere debeat, vel confirmare sententiam, à qua provocatum est, vel appellationem declarare desertam, condemnando appellantem in expensis causæ appellationis, Bald. in l. Eos §. apostolos c. De appell. Tertium verò, hoc est improbare, retractare, aut corrigere eandem sententiam nullo modo potest, ut aperto iure constitutum est, in Clem. Appellanti De appell. & communi D. eorum sententia receptum, Gloss. in Clem. Si appellationem in verb. appellatus, Hostien in c. Ex ratione in fine de appell. Bart. in d. l. Eos, Calderin. cons. 9. de appell. & votis ac sententijs auditorij Rotæ Romanæ frequentissime decisum, decis. 98. alius est 14. Licet appellato & ibi in addit. de appell. in novis, & decis. 5. alias est 2. nota quòd ubi appellatio De appell. in antiq. i. hac nimirum evidente ratione, quòd 2. lapsis temporibus fatalibus sententia, à qua appellatum est, transeat incommutabiliter in rem iudicatam, & rata maneat, Auth. Ei qui appellat C. de temp. appell. definitaque provocatus seu ad quem appellatum est, Iudex iurisdictionem in causa appellationis habere ex momento prefate supervenientis desertionis, &gid. Bellamira decis. 117. quia quæ per appellationem in Iudice, à quo provocatum est, suspensa, l. Tale pactum §. qui provocavit D. de pactis, seu, ut alij volunt, durante appellationis causa extincta erat, l. 1. §. fin. D. ad s. C. Tupiliterum propter supervenientem desertionem revolat ad Iudicem à quo, Gloss. in d. l. Eos & in d. Clem. Si appellationem. Vsq̃ue adeo ut ne consentien-

tibus litigatoribus iurdictio maneat in manibus aut potestate Iudicis provocati, in cuius manibus deserta est appellatio; perinde ac si deserta esset, antequam causa appellationis ad eum est deducta, d. Clem. si appellationem.

Desertio enim habet effectum renuntiationis; quasi scilicet renuntiare censetur appellationi, qui illam intra fatalia tempora non peragit: non aliter quàm appellans, qui intra prestituta tempora apostolos non petijt, per hoc appellationi renuntiare intelligitur, c. Ab eo De appellatione.

Vsq̃ue adeo ut deserta appellatione, pars appellata non cogatur expectare sententiam desertionis à Iudice provocato, sed possit, si velit, omisso illo, rectâ viâ ire ad Iudicem, à quo provocatum est, pro sententiæ executione, à qua appellatio interposita, sed nunc deserta existit, sic ut nihil sit necesse expectare, donec Iudex ad quem declaret appellationem desertam, ut eleganter tradidit Angelus Perusinus, in l. Si contra maiorem C. De appell. per illum tex. vel in c. Ex parte 2. n. 5. De appellat. Guido Papa decis. 436. nu. 23. dicens leita infinitis vicibus practicasse, & hoc modo vitari magnum circuitum; & sic quidem, ut Iudex à quo possit executivè contra condemnatum procedere, eo etiam aliter non citato, 10. de Imola in c. Ex ratione De appell. Petrus à Placa in epistone delict. lib. 1. cap. 11. Nam, ut inquit Glossa, in d. l. Eos ad verb. vel iniustam, desertio eò rem deducit, ac si appellatum numquam fuisset.

Quòd autem non tantum plena, sed etiam plenissima desertio in hanc appellationis causam incurrerit, ipsa acta demonstrant: quippe constat sententiam à qua latam esse anno 1568. 10. mensis Iulij, & ab ea incontinenti viva voce fuisse provocatum, & deinde mensis Iulij 17. responsum de apostolis, ac post satis bonâ diligentia illam coram Venerabili D. Officiali introductam fuisse 28. mensis Augusti tunc proximè sequentis; sed tam diu protractam fuisse hanc causam, quòd demum per decretum D. Iudicis in causa sit conclusum 22. Ianuarij 1572. cum iam ad eum usque diem totum triennium cum semestri à tempore interpositæ appellationis defluxisset; quo ipso tamen tempore dictæ conclusionis causa nondum terminata fuit, sed exinde in hunc diem ulterius aliud totum triennium effluxit: ita quòd ex die interpositæ dictæ appellationis jam effluxerit totum sexennium & præter illud octo adhuc menses; sic ut de desertione nulla possit esse dubitatio, quin illa sit plenissima & inemendabilis; cum hanc desertionem facit primi anni, aut ad summum iusto impedimento interveniente biennij ex die interpositæ appellationis lapsus, non tantum iure civili, d. Auth. Ei qui appellat C. de appell. sed etiam Canonico, c. Cum sit Romana de appell. * & quidem ita, ut non sufficiat intra biennium in causa conclusum esse, nisi præterea pars appellans etiam prosecutionis diligentiam fecerit, ut Iudex quoque intra biennium appellationis causam definat, ut aperto iure constitutum est, l. ult. §. ult. in fine C. de temp. appell. sic quòd lapso biennio non debeat ex quacumque etiam causa dari triennium, & omnium minimè quadriennium

nium aut ulterius aliquod tempus, Angel. conf. 130. Visis omnibus in fine Cassad. de off. 6. de appel. steph. Bertran. conf. 435. Appellanti vol. 4. quod repetitum est consil. 73. vol. 5. De qua re minor est in proposito dubitatio, propterea quod pro parte appellantis nulla sit proposita allegatio iusti alicujus impediementi, ob quod aliud fatale, vel adversus lapsum restitutionis in integrum concedi debeat.

5 Nec ad sustinendam instantiam seu perduratiorem fatiolum, vel averfionem desertionis quicquam facere potest, quod appellatus in hac appellationis causa coram Venerabili D. Officiali cum appellante processerit, etiam post lapsum biennij: nam apertum iure constitutum est, in Clem. si appellationem de appel. non ideo minus sententiam, à qua appellatum tuiti, censeri desertam, & transire in rem iudicatam, si appellatus cum appellante etiam principaliter in causa appellationis procedat; ita ut si appellato cum appellante in appellationis causa post lapsum fatiolum procedente contingat iudicem appellationis sententiam, à qua provocatum fuit, retractare, etiam si ab ea sententia appellatum non fuerit, possit posterior sententia adversus eum, qui in prima instantia vicit, executioni mandari, gloss. in d. Clement. si appellationem ad V. appellatus, Ioanib. Synfiger. centur. 2. observat. 59. tamquam lata contra rem prius iudicatam, l. 1. C. Quando provoc. non est necesse, & ab eo, qui iurisdictionem nullam habuit, cuius iurisdictionis defectus facit, ut nec de nullitate prioris sententiae iudex appellationis iudicare possit, si illa forte aliquo modo commissa esset; sed re inquenda est illius cognitio priori iudici, Cardin. Zabarella in d. Clem. si appellationem.

De quo nihil hic dubitandum, cum ex parte appellantis de aliqua nullitate nihil proponatur, nec in actis aliquid conspiciatur, unde nullitas dictae primae sententiae aliquo modo argui possit. Intellego Venerabilem D. Officialem difficultatem aliquam facere, quasi causa in prima instantia peracta seu conclusa non fuerit, ex eo, quod finis actorum primae instantiae requirere aut etiam admittere videatur, non sententiam definitivam, sed interlocutoriam, super altercatione, quae 8. mensis Maij anno 1568. mota fuit, quoad admissionem quarundam articulorum per partem ream nunc appellantem, tunc paulo ante exhibitum, nulla post huiusmodi exhibitionem aut altercationem facta conclusione in causa, sine qua ad sententiam definitivam regulariter perveniri non posse videtur, quasi conclusio sit de substantia processus, c. Quoniam contra de probat. c. Cum dilectus & ibi gloss. De fide instrum. Nam prius in causa formaliter fuisse conclusum manifestè demonstrant acta primae instantiae, in quibus invenitur per iudices primae instantiae conclusum fuisse 29. mensis Novembris anno 1567; idque ex formali etiam consensu procuratorum utriusque partis: reperitur etiam in ipsidem actis relatio facta citationis partis reae ad audiendum sententiam ferri. * Quae conclusio cum contineat renuntiatum fuisse omnibus & quibuscumque ulterioribus allegationibus, probationibus, & exhibitionibus, c. Passoralis de caus.

possess. gloss. in d. c. Quoniam contra ad V. renuntiationes, & in d. c. Cum dilectus in V. conclusum, merito non debuit haberi ratio illorum articulorum, quos pars rea in prima instantia 17. Februarij anno 1568. post tres ferè menses à tali conclusione exhibuit, & ad probandum ac respondendum admitti petijt, sed potuerunt D.D. iudices, non obstantibus illis, ad ulteriora procedere, & captae conclusioni insistendo ad calculum & pronuntiationem sententiae definitivae procedere: quia ius iudicem post conclusionem in causa ad id attingit, non permittit facultate, alia post conclusionem ad novam cognitionem admittendi, nisi per beneficium restitutionis in integrum, c. Auditus de integ. restit. quae à parte rea postea non reperitur; praeterea post constantem partis agentis contradictionem, de stando conclusioni captae, & non admittendis huiusmodi articulis post illam.

Nec movet quicquam, quod iudices ad suam cognitionem receperint cognitionem huiusmodi altercationis, super admissione seu rejectione articulorum post conclusam causam: nam & de eo cognovisse praesumitur facta dictorum serius exhibitum rejectione, si non formali saltem effectuali; quia iudex incidenter mota altercatione super admissione praesertim articulorum per processum ad ulteriora, censetur huiusmodi articulos adhibita cognitione rejicere, c. Ex parte 2. de appel. Bart. in l. 1. nu. 5. C. de ord. cognit. & in l. A. procedente nu. 2. C. de dilat. Et si id injustè facit, nullitatem non committit, sed tantum injusitiam contra ius partis; de qua injusitia postquam sententia in rem transivit iudicatam, amplius queri non potest; quia rebus iudicatis standum est, & sententia, quae transivit in rem iudicatam, etiam si sit injusta, ius facit, l. 1. §. pari modo de liber. exhib. si re contra de lib. agnosci. Quod autem dicta sententia in prima instantia transiverit in rem iudicatam propter quadruplicatum ferè lapsum fatiolum superius satis demonstratum est.

Nec denique quicquam facit, quod post huiusmodi altercationem in actis primae instantiae non inveniatur aliqua citatio ad audiendum ius dici, Nam etsi ad sententiae prolationem omnino requiratur citatio partis, & ea omissa, sententia sit ipso iure nulla, l. Ea quae & ibi Bald. c. Quomodo & quando c. Quoniam frequenter §. porro V. lite non contestata & c. omissionem tamen specialis huiusmodi citationis purgat litigatorum & Procuratorum eorum praesentia; quia sufficit partes, seu eorum procuratores tempore quo sententia fertur fuisse praesentes; cū citationis usus sit pro absentibus, non praesentibus, Bart. Bald. & alij in l. 1. de ius vocan. l. de unoquoque in verb. praesentibus omnibus de re iud. l. Et si §. ult. d. de minorib. atque ita ad averteendum vitium nullitatis ex omissione citationis, sufficit, quod ex instrumeto sententiae constet utriusque partis procuratores fuisse praesentes. Sed hic anxius & scrupulosius persequimur, quae nec pars adversa movit, nec juris subtilitatem habent.

Quamobrem in eo persistimus Venerabilis Domini Officialis officium esse, ut vel desertam pronuntiet hanc appellationem, remissa causa ad executionem sententiae praedictae; vel simpliciter

li 2. eandem

eandem sententiam confirmet; vel denique, quod consultius & iustius erit, ut utrumque faciat, ad illum finem, ut in omnem eventum hæc secunda sententia numerum sententiarum faciat. Et sanè si res postularet, evidenter demonstrari posset iustitia dictæ primæ sententiæ: sed quoniam desertio ulteriori cognitioni præiudicium facit, ab eo labore abstinemus.

De Appellationibus.

SUMMARY.

Nullitas sententiæ & Appellationis desertio.

1. Nullitatis causa an coniunctim cum causa principali cognosci possit.
2. Appellationis desertio. Iudex tenetur causam remittere ad Iudicem à quo, cum ab interlocutoria est appellatum.
3. Clausula, cum toto negotio principali, in rescripto quomodo accipiat.
4. Appellationis ab interlocutoria causam Papa committere potest, ita ut non fiat remissio ad Iudicem à quo.
5. Iurisdictio delegata semel extincta non prorogatur.
6. Procurator iurisdictionem prorogare non potest sine speciali mandato.
7. Desertio non tollit causam nullitatis.
8. Desertio per Papam vel Principem tolli potest.
9. In iustitia sententiæ evidens operatur nullitatem.
10. Resistitio quando etiam post quadriennium datur.
11. Incertitudo vitiat sententiam.
12. Sententia nulla rectè etiam dicitur iniusta.

CONSILIUM CCI.

VARIÆ incidunt questiones in ea instantia, quæ nunc coram Reverendo Domino Vicario Episcopi Leodiensis pendet inter Annam relictam Theodorici de Gemeppia & Baltazarem N. quæ tamen parum adjuvant veritatem pacti antenuptialis, quod Baltazar preterit.

Primo quæritur, an separatim vel conjunctim cognosci & judicari debeat tam super objecta nullitatis sententiæ, à qua provocatum est, quam super causa principali? Ad quam paucis respondemus, ex sententia Bartoli, quem in eo sequuntur omnes, in l. 1. nu. 8. C. Quando provocare non est necesse & in l. Si expressum nu. 7. de appellationib. conjunctionem illorum utique admitti, tam in interpositione appellationis, quam illius prosecutione, ac sententiæ pronuntiatione, tunc cum ex ea non consurgit conjunctorum aliqua contrarietas; ut est in proposito casu, quo sententia Decani S. Dionysii arguitur nulla & iniusta; ut prius pro parte Baltazaris idem objectum fuit sententiæ, quam Decanus sanctæ Crucis secundum præfatum Baltazarem pronuntiavit; potissimum cum articulus nullitatis ex causa desertionis altiore habeat indaginem, & dilquisitionem, & ipsa iniustitia causæ nullitati actorum vel præponderet, vel par sit, Rota decis. 434. Nota utrum primo in fine quæ est 29. sub. tit. De sentent. & re ind. in antiq. Sic quod in ipsa iniustitia causæ, sententiæ quoque consistat nullitas; quod in hac causa contingere paulò post demonstrabimus, ita ut quemadmodum præfatus

Dominus Vicarius rectè utrumque ad cognitionem admisit, quamvis sub hac cautione, *salvo iure impertinentium, & non admittendorum*; ita quoque de utroque cognoscere possit, & ex eo quod præponderat causam definire.

Secundò quæritur, an Dominus Ioannes Wyngarden, cui Baltazar interposita appellatione à decreto Domini Officialis Leodiensis reijcicente certos quosdam præfati Baltazaris articulos, causam per rescriptum Apostolicum committi obtinuerat, post sententiam suam, per quam declaravit appellationem Baltazaris esse injustam, confirmato præfati Domini Officialis decreto, de principali causa quoque potuerit cognoscere, vel virtute delegationis Apostolicæ, vel ex prorogatione procuratorum? Quæ difficilem quoque non habet resolutionem. † Est enim juris dispositio in eo articulo clara, quòd, cum ante sententiam à gravamine appellatur, Iudex appellationis, qui pronuntiat bene judicatum, & malè appellatum, teneatur de juris rigore causam seu principale negotium remittere ad Iudicem, à quo provocatum fuit, c. *Vi debitas* de appell. c. *Romana* §. ult. de appellat. lib. 6. etiam tunc cum per rescriptum Apostolicum alicui causa appellationis à gravamine commissa est, cum toto negotio principali; † quia hæc adiectio tacitam in se habet conditionem juris, ut scilicet tunc negotium principale censeatur commissum, si iusta pronuntiat appellatione, Lud. Rom. consil. 362. Quoad primum nu. 2. Decius ad d. c. *Vi debitas* nu. 7. Felin. in c. *Causam* quæ nu. 2. de rescript. Idque etiam si Auditori Rotæ Romanæ causa sic committatur, Lud. Rom. d. nu. 2. Rota decis. 237. Voluerunt, quæ alias est 23. de rescript. in novis, quamvis in eo quidam variant, existimantes Auditori plus tribuendum esse; ob id, quòd causa in Auditorio Papæ pendere videatur, quæ illi commissæ est, & sic non facile à Papa ad inferiorem redeat, Rota decis. 11. Fuit dubitatum, quæ alias est 3. de appellat. in novis. Sed quamvis id de stylo curiæ observari dicatur, hoc tamen fatentur omnes contra jus esse, d. decis. 11. vers. & hoc habet stylus licet de iure esset contrarium, Felin. in d. c. *Causam* quæ nu. 6. Ideoque ipsos Auditores Rotæ excedere non debet; imò plerique existimant, non obtinere nisi tunc, cum ab uno Auditore appellatione interposita, causa alteri Auditori committitur, Rota decis. 612. De quod ubi auditor, quæ est 63. de appellat. in antiq. Sic ut in proposito indubitatum sit causam omnino remittendam fuisse ad Officalem, quem credimus frivolæ appellationi à reiectione impertinentium articulorum non detulisse (non enim vidimus acta) nam eo casu remissio necessaria non est, c. *Cum appellationibus* de appellat. lib. 6. * Non negamus tamen, quin per Pontificem causa ita committi possit, ut etiam confirmata sententia, à qua provocatum est, delegatus quoque de negotio principali cognoscat; sed id dependet ex tenore rescripti, quod non vidimus. Cum itaque Dominus ab Wyngarden iudicando malè appellatum functus fuerit suo officio, & Iudex esset deficiit, c. *Cum super*, sub finem de offic. & potest ind. deleg. & negotij principalis notionem aut cognitionem